

Auspice

DISPUTATIO THEOLOGICA
IN PSALMUM
Decimum septimum.

DAVIDIS

Selectissimas Notas

exhibens

Publica censura subicietur

*In Regia Academia GUSTAVIANA, quae Dor-
pati Livonorum est ad Embecam,*

PRÆSIDE

ANDREA VIRGINIO, SS. Theol. D.
& Profess. Primar. nec non Proto-Synedrij,
quod est in Livonia, Adessore, & Utriusq; Collegij
Seniore emerito:

Respondente

JOHANNE MAGNI WINTROSIO, Nericia-Sveco,
SS. Theol. Studioso.

*In Auditorio Majori d.
hor. à 7. in 11. matutin.*

Dorpati Livonorum.

*Exscripsit JOHANNES VOGELIUS, Academia Typogr.
ANNO M DC LIII.*

*ad Psalm. XVII. 15. D. Jof. Georg. Niemann Dissert. de spe melio-
ris vite. Vof. Dissert. X. nō. 10. it. Vof. XV. nō. 62.*



Psalmus XVII.

Oratio David.

Audi, Domine, justitiam meam, attende clamori meo, auribus percipe precationem meam, non in labiis doli.

2. A facie tua iudicium meum egrediatur, oculi tui videant rectitudines.

3. Examinaſti cor meum, viſitaſti nocte, igne examinaſti me, nihilq; inveniſti: Cogitavi, non transgredietur os meum.

4. Ab operibus hominum in verbo labiorum tuorum ego cuſtodivi me in ſemitis latronis,

5. Sustenta gressus meos in semitis tuis, ne moveantur planta mea.

6. Ego invocavi te, ideo exaudies me, Deus, inclina aurem tuam mihi, audi eloquium meum.

7. Mirifica misericordias tuas, tu o Servator sperantium, ab insurgentibus in dexteram tuam.

8. Custodi me ut pupillam filiam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me.

9. A facie impiorum, qui vastaverunt me; inimicorum meorum, qui in anima circumdederunt me.

10. Adipe suo clauferunt, ore suo locuti sunt in superbia.

11. Gressu suo nunc circumdederunt nos, oculos suos ponunt ad dejiciendum ad terram.

12. Similitudo ejus ut leonis, qui appetit rapinam, & ut leunculi manentis in latibulis.

13. Surge Domine, praeveni faciem ejus, dejice eum: libera animam meam ab impio, gladio tuo.

14. A mortalibus manu tua, Domine, à mortalibus, qui sunt à seculo, quorum portio est in vita, & quorum ventrem implet thesauro tuo; Saturantur filij, & relinquunt residuum suum parvulis suis.

15. Ego in justitia tua contemplantur faciem tuam: satiabor, cum evigilavero, imagine tua.

Nota.

1. Psalmus hic insignitur titulo precatiois David: Est enim Oratio seu ardens precatio, qua David nomine fidelium Deum orat, ut se & omnes verbi divini professores contra infidias & furores hereticorum & tyrannorum custodiat & conserveat. Tres autem sunt hujus precatiois partes, propositio, confirmatio, & conclusio. Primum enim rem proponit; Deinde duplici argumentorum genere propositionem suam confirmat; alias enim rationes à cause suae bonitate, alias verò ab hostium rabie & impietate sumit. Denique epiphonemate psalmum concludit, quo sibi aeternam salutem precatur, & hostibus aeternum exitium praenunciat.

2. v. 1. & 2. Orditur Vates precatioem suam à propositione, quae primum indefinitè orat se exaudiri: Sic enim Deum alloquitur v. 1. Audi, Jehova, justitiam, attende clamori meo, auribus percipe precatioem meam, non in labijs doli. Ubi notentur sequentia. 1. Per justitiam intelligitur hic non persona, sed causa justitia, quam per *πεωσωποποιαι* fingit clamare ad Deum, cum ipse potius injustè oppressus clamet. 2. Per clamorem & precatioem idem significatur, sed repetitio ejusdem sententiae & vox clamoris non solum magnitudinem periculi, sed etiam motus vehementes

mentes animi anxij declarat. 3. est hic elliptica constructio: Deest enim relativum *ἃ* quod ita suppleri potest: auribus percipe precatioem meam, qua non proficietur è labijs dolosis, ut hypocritarum, qui labijs Deum honorant, & corde procul sunt; sed ex intimis cordis visceribus. Cæterum petit eam David determinate auxilium Dei, sic porrò inquit v. 2. A facie tua judicium meum egredietur; oculi tui videant rectitudines: Quae verba Lutherus Germanicè ita reddidit: Sprich du in meiner Sache und schaw du auff's Recht. Mens igitur Prophetæ est: Tu Domine dicas sententiam in causa mea, & ostende toti populo, me justam habere causam: Judicia hominum sunt prava & perversa; Sæpe namq; à cæcis affectibus in transversum abripiuntur, ut injustissimas etiam causas approbent: Ideo ab horum judicio ad te provoco: tu causam meam defendas, & eos, qui me injustè oppugnant, punias, tu reipsa ostendas & declares, te approbante rectè facta, & non connivere ad hominum scelera. Ultrumq; fit in judicio rectè constituto; Bonorum scilicet causa approbatur & defenditur; malorum verò improbitas punitur.

3. v. 3. profert David argumentum ab innocentia & integritate sua petitem, quam probat testimonio ipsius Dei: sic enim ait: Examinaisti, seu probasti cor meum, visticasti nocte, igne examinaisti me, vibilq; invenisti: Quibus verbis describitur 1. accuratum istud examen, quò Deus Davidem probavit: 2. Examini istius consequens sive eventus. Tres verò examini istius hic recensentur gradus: Primum enim probavit Deus cor ipsum, hoc est, cordis & cogitationum latebras excussit, cum sit *καρδιογνώστης* & scrutator cordium, quem nihil omninò latere potest: Secundò nocte visticavit eum. Fiduciam noctis & tenebrarum multa scelera homines perpetrare solent, quæ latere posse confidunt; sed Deus noctu quoq; & in tenebris, consiliorum & actionum humanarum est arbiter, qui coram omnia arcana aspicit. Tertio igne tribulationum examinavit, & veluti metallum in fornace excoxit eum: Elegans est metaphora, desumpta ab aurifabris; quemadmodum enim hi metalla probant, & igne à scoriis purgant; sic etiam homines pij in fornace calamitatum à Deo probantur & purgantur. Potest cor esse rectum, consilia quoq; & arcana instituta aliquandiu sincera, sed cum accedunt calamitates & ærumnae, facile sanctis hominibus usu venit; ut

ex imbecillitate carnis hallucinentur. *Consequens sive eventus divini huius examinis* exprimitur verbis, *nihil invenisti, mali scilicet, & nihil sceleris*: Quod quidem non ita accipiendum est, quasi David se *diva uel optime* profiteatur: Nemo enim hominum à peccati labe immunis est, ut supra Psal. 14. audivimus, sed David hæc de *justitia cause*, deq; *integritate conscientie sue* affirmat, quòd scit, se omni culpa eorum scelerum vacare, quæ Saul & alij impij innocenti objiciebant.

4. v. eod. & 4. subjungit David *duas integritati & innocentie sue species*: una est in *sermone*, de qua dicit: *cogitavi, non transgredietur os meum*, hoc est, linguam meam à blasphemia in Deum & à calumniis in proximum custodio. *Alij sic interpretantur: Cogitatio mea non transibit os meum*, id est, non aliud versabit animus meus fallendi causâ, quàm lingua profert; non aliud loquar ore, aliud meditabor corde, sed erit summa convenientia oris & cordis. *Altera est in operibus & vita institutis*, de quâ ita loquitur: *Ab operibus hominum in verbo labiorum tuorum ego custodivi me, in semitu latronis*; vel ut alij: *Ab operibus hominum jussu labiorum tuorum ego abstinui, seu cavi mihi, semitu latronis*, id est, quæ sunt semitæ latronis: Et sic per *oppositionem* semitæ latronis adduntur operibus hominum. *Quatuor* verò in hoc vers. notanda veniunt: 1. Per *opera hominum* intelliguntur hic à Propheta in genere omnes actiones, cum prima & secunda tabula Decalogi pugnantes. 2. Per *verbum labiorum Dei* intelligitur mandatum Dei: nam nomen דבר quando à fronte recipit literam ך tum peculiari scripturæ consuetudine usurpatur pro *mandato, consilio, instinctu & svasu*, ut Num. 31. v. 15. 1. Paralip. 21. v. 19. Psal. 33. v. 6. Vult igitur Propheta, se omnes suas actiones rexisse *mandatò divinò*, nec motum fuisse communi peccandi consuetudine, vel etiam impulsu & svasu aliorum, ut delinqueret, sed retinuisse integritatem vitæ & morum. 3. Per *semitas* in scriptura significantur *wetaphoricè studia, consilia, instituta, actiones & mores hujus seculi*. 4. Per *latronem* intelliguntur *tyranni & heretici*: Illi enim corpora; hi animas interficiunt. *Emphaticum* est, quod in fontibus extat, vocabulum פריץ quod *perruptorem* notat & descendit à פריץ quod significat impetu quodam perrumpere. Tyranni enim & hostes Ecclesiæ jura divina & humana perrumpunt, & sicut latrones turbant & violant societatem communem, ita illi discernunt

punt & dissolvunt justam harmoniam benè constitutæ Reipubl. & Ecclesiæ.

5. v. 5. Subjicit Propheta argumento priori *precationem*, ut deinceps quoq; à Deo servetur, ne aliqua impietate aut scelere contaminetur; *Sustenta*, inquit, *gressus meos in semitu tuu, ne moveantur planta mea*. *Dua* hic commemorantur *cause perseverantiae & constantiæ fidelium*; *Una est ex parte Dei*, paterna nimirum omnipotentis Dei conservatio, quam David indigitat verbis, *sustenta gressus meos*; *altera ex parte nostra*, diligens & attenta verbi divini auscultatio, de qua Psalteres ait: *in semitu tuu, ne moveantur planta mea*, id est, ne à recta justitiæ via exorbitent ac defleant. *Semita Dei* sunt verbum Dei, quò vita nostra regitur: Sicut enim viatores viam sequuntur, si in patriam pervenire volunt, ita ad cælestem patriam contendentibus unica via mandatorum Domini proposita esse debet, quam sequantur.

6. v. 6. Repetit *propositionem*, quâ preces suas in genere exaudiri precatur: *Ego*, inquit, *invocaui (alij; invoco) te; ideo exaudies me, Deus; inclina aurem tuam mihi, audi eloquium, sive sermonem meum*. Eadem est hæc precatio, quæ initio Psalmi recitatur, ut exaudiat & defendatur Propheta adversus injustam vim & tyrannidem hostium suorum: Repetitio autem crebra & *periculi magnitudinem & animi anxietatem* ostendit: Non enim frigidè hanc rem agit, sed magno animi motu; atq; hac ipsa repetitione vincit, & superat dubitationes. Cæterùm complectitur hæc precatio *duo membra*; In *priori πνευματικῆς* fidei suæ profert, quæ veluti fundamentum est omnium precum, omnibusq; dubitationibus de illarum exauditione opponitur: Sic enim sit: *Ego invocavi te, ideo exaudies me Deus*, q. d. ideo certus sum, te, mi Deus, preces meas benignè exauditorum; siquidem nullas fidelium preces negligere potes. *Observes* hic particulam ך non esse *αιτιολογικῶς*, *causalem*, quæ reddenda foret per *quoniam* vel *quia*; sed *συλλογικῶς*, *ratiocinativam*, & exponendam per *ideo*, vel *idcirco*, ut sit sensus: *Effectus promptæ exauditionis tuæ reddit me clamor in precibus, non dubitantem de exauditione, sic exponente Salmerone*. Similem significationem habet Psal. 116. v. 10. *Credidi, idcirco locutus sum*. In *posteriori* se exaudiri rogat, & per *ἀνθρωποπαθείας* de divina auscultatione ita loquitur, ut inde magnitudo ærumnarum

narum æstimari possit; *Inclina, inquit, aurem tuam mihi, audi eloquium meum.* Quibus verbis indicat (1.) *Φιλανθρωπίαν Dei*, quâ se benignissimus Pater cælestis è summa sua sublimitate ad nos miseros demittit homines; (2.) *arumnarum suarum magnitudinem*, quâ se usq; adeò obrutum conqueritur, omnibusq; viribus exhaustum esse, ut claram ad Deum vocem attollere nequeat, sed indigeat, ut Deus sese demittat, & suspiria gementis animi propius aufculcet.

7. v. 7. à generali petitione de exaudiendis precibus progreditur ad specialiozem, quâ propius calamitates suas in conspectum Dei profert: *Mirifica, inquit, misericordias tuas.* Verbò, *mirifica*, indigitatur h. l. *& magnitudo periculorum, & modus liberationis insolitus ac mirabilis*: Nomine autem plurali, *miseriçordias*, intelligitur *immensa & infinita* Dei misericordia: Numerus enim pluralis quandoq; ponitur pro singulari ad denotandam magnitudinem & excellentiam. Sensus ergò hujus preçationis hinc fluit ejusmodi: Cum in tantis sim periculis, ex quibus nullo humano consilio & auxilio evadere possum, ostende tu Domine mirabili & insolito liberationis modo misericordiam tuam ineffabilem & inexhaustam, quia servare & liberare potes tuos supra omnem humani ingenij captum. Observandum hîc, non licere *omnibus in genere fidelibus* miraculosam liberationem vel rogare vel sperare: Nam citra peculiarem Dei promissionem, quam David *ut Propheta* habuit, miracula postulare est Deum tentare, *Matth. 12. v. 39. 1. Cor. 14. v. 22.* sed ubi miracula Deus offert, impiæ mentis est ea aspernari, ut videre est in Rege Ahasia *Esai. 7. v. 12.* Cæterùm preçationi suæ *doms* addit Propheta gravissimas rationes, quarum *primam* sumit à *Dei proprietate*; quam singulari & longè dulcissimo exprimit elogio, dicens: *Tu es Servator sperantium in te*; quò elogio (1.) Deum excitat ad opem ferendam, cum hoc ipsius naturæ proprium sit: (2.) spem suam, quam conceperat de auxilio divino, magis confirmat: *Alteram* ducit ab *hostium suorum immanitate*, quam describit verbis subsequ. *Ab insurgentibus contra dexteram tuam*: Quæ conjungenda sunt particulæ proximè præcedenti, ut sic legamus: *Qui sperantes in te servas ab illis, qui adversus dexteram tuam insurgunt*, q. d. tanta est hostium ferocia & audacia, ut non dubitent *θεουαχεῖν*, & ipsi omnipotenti dexteræ Dei bellum inferre: quod si adversus Deum hoc audent, quid non mihi misero homuncioni intendant?

Obser-

Observari hîc meretur, eos, qui *pios* oppugnant, *in ipsum personam* opponere se dexteræ, hoc est, potentia divina, & Deo ipsi gigantum more bellum inferre. Ea enim, quæ sanctis accidunt, *propter unionem eorum cum Deo spiritualem, seu gratiosam Dei in iis habitationem*, ipsi Deo vel Christo adscribuntur, *Zach. 2. v. 8. Matth. 25. v. 35. Act. 9. v. 4.*

8. v. 8. *propositionem* seu *preçationem suam tertio* repetit, quâ repetitione innuere voluit, se & Ecclesiam Dei calamitatibus vehementer urgeri: *Custodi me, inquit, ut nigrum pupillæ oculi, sub umbra alarum tuarum protege me.* Explicat hîc modum defensionis *duabus similitudinibus*: *primam* sumit ab *oculo*, quæ sic declaratur; Tam diligenter custodi me & Ecclesiam tuam, quàm quis pupillam oculi sui. In fontibus *duo* extant vocabula *אֵיִשׁוֹן* & *בֵּרַת*, in quorum interpretatione variant Interpp. *אֵיִשׁוֹן* alij vertunt *virunculum*: Est enim diminutivum ab *אֵישׁ* quod *virum* significat: Sic autem pupillam vocari censent, quòd intuentes in alterius oculum tanquam in speculum cernunt imaginem virunculi seu pueruli: *Alij nigrum*: nam de nigredine noctis ac tenebrarum etiam usurpatur *prov. 7. v. 9. c. 20. v. 20.* ubi virunculi imago nulla. *בֵּרַת* Chaldæus & Arias Montanus reddunt *filiam*, & sic vocari volunt *pupillam*, eò quòd sit in medullis oculi sita; vel quia est res tenera & delicata, ut sunt puellæ; *Alij* censent, esse nomen contractum pro *בֵּרַת* quod in statu absoluto dicitur *בֵּרַת* *pupillam* significans. Utitur autem hac similitudine 1. *propter fidelium conditionem*: Est enim fides eorum res tenerissima, quæ facile lædi potest, sicut exigua res oculos lædit: *Non patitur lusum fatua, fides, oculus*: 2. *propter eorundem protectionem*: Nos admodum sollicitè cavemus, ne quid in oculos illabatur, quò lædi possit; quin etiam natura ipsa ita prospexit oculis, ut ad quemvis strepitum seu motum inopinatum maximâ celeritate claudantur, ne damnum patiantur. Sic etiam fideles à Deo instar pupillæ oculi custodiuntur & proteguntur, *Zach. 2. v. 8.* *Qui tetigerit vos*, inquit Jehovah, *tangit pupillam oculi mei &c.* Ubi promissio simplici oratione exponitur; hîc verò sub forma preçationis, quæ, cum à Spiritu S. sit dictata, vim etiam habet promissionis. *Alteram* similitudinem depromit ab *avisibus*, quæ suos pullos vel contra radiorum Solarium calorem tegunt, ut de aquila scribitur *Deut. 32. v. 11. vel* contra frigus muniunt, vel adversus rapi-

B

nam

nam accipitrum ac vulturum sub alis suis tumentur & custodiunt, ut gallinæ: Sic ergo Deum comparat gallinæ seu avi; Et gratiam Dei seu misericordiam in verbo promissam alis avium. Ecclesiam verò avium pullis, ut hac imagine curam, quam Deus pro Ecclesia sua gerit, diligentius exprimat, confer Math. 23. v. 37. & Exod. 25. v. 20. ubi hoc ipsum in duobus Cherubim super arcam fœderis alas explicantibus pulcherrimè adumbratum fuit.

9. v. 9. describit ingenium hostium suorum hunc in modum: *A facie impiorum, qui vastaverunt me: inimicorum meorum, qui in anima circumdederunt me.* Est hæc pulcherrima, sed & tristissima hostium Davidis descriptio, quod sint 1. quoad Deum, impij, qui nullam religionem curant, sicut Cyclops ille apud Poëtas suum ventrem pro maximo Deo habet: Notandum hic, vocem, *facies*, $\pi\lambda\epsilon\omicron\nu\acute{\alpha}\xi\epsilon\omicron\delta\gamma$, juxta regulam: *Duobus substantivis in regiminis statu copulatis significatio posterioris vel unice vel cumprimis attenditur, & prius $\pi\lambda\epsilon\omicron\nu\acute{\alpha}\xi\epsilon\omicron\delta\gamma$ videtur.* 2. quoad Rempublicam, *vastatores*, qui pacem publicam turbant, & omnia amicitiae & necessitudinis vincula dirumpunt: 3. quoad Ecclesiam, *inimici & persecutores*, qui tantâ ardent crudelitate, ut satiari & placari nequeant, nisi sanguinem effundant, & ipsas quoq; animas hominum falsâ doctrinâ enecent. Observari hic meretur (1.) nomen $\Psi\delta\delta\delta$ (in anima) referri posse vel ad hostes, vel ad Davidem: Si ad hostes, ad quos ratione accentus Revia spectare videtur, sententia erit, quòd tota hostium mens & anima flagret incendio quodam iræ & furoris erga Davidem & alios pios, q. d. *Ex anima mihi sunt inimici, & toto corde me oderunt, & persequuntur:* Si ad Davidem, quò inclinare videtur verborum sententia, sic erit exponendum: tanta est hostium meorum crudelitas, ut non modò fortunæ, sed etiam vitæ meæ insidias struant, & non quiescant, donec auferant animam meam ac interficiant me. (2.) verbò, *circumdare*; Davidem respicere vel ad venationem, q. d. sicut canes feram circumdant, ita ut nusquam pateat effugium, sic etiam hostes circumdederunt me, ita ut periculum vitæ non possim effugere, nisi tu Domine succurras & liberares me: vel ad conflictum hostium, ut sensus sit: sicuti Imperatores & Duces strenui in conflictu circumdant hostem & concludunt copiis suis, ita isti undiquaq; Ecclesiam premunt, usq; dum fideles funditus deleant.

IO. V. 10. depingit luxum seu vitam voluptuariam & superbiam hostium suorum: De vita eorum voluptuaria ita infit. *Adipe suo clauserunt, sive concluserunt scil. faciem suam:* Est enim Oratio elliptica, eademq; phrasis integrè ponitur Job. 15. v. 27. Impius operuit facies suas adipe suo, Confer Psal. 73. v. 7. Notat autem hac phrasi luxum & ingluviem ipsorum, q. d. deliciis affluunt, & in id unice omni cura incumbunt, ut cuticulam suam molliter tractent; & sagent, id quod ex facie illorum animadvertere licet, quæ usq; adeò obesa est, ut vix oculi conspici possint, aut ut ipsi alios aspicere queant. Ponitur ergo hic signum pro signato, & sumpta est metonymia ab eo, quod communiter accidit in vita: nam qui in deliciis perpetuis vivunt, & nullis curis conficiuntur, his intumescit facies adipe, id est, rebus secundis & felici successu redduntur obesi & pingves: Hinc etiam pingves metaphoricè in scriptura dicuntur ij, qui aliis antecellunt opibus, potentia, dignitate & cæteris vitæ commodis, Psal. 22. v. 13. Psal. 78. v. 31. Amos 4. v. 1. Alij hunc versic. ita interpretantur: *Adipem suum, hoc est, pingves suos concluserunt*, id est, conjungunt vires suas & conspirant inter se: Lutherus Germanicè reddidit: *Thre Fettern halten zusammen.* Cæterum de superbia hostium suorum ita loquitur Psalmographus: *ore locuti sunt in superbia*, id est, superbe. Illam enim voluptuariam vitam sive luxum κατὰ πόδα insequitur superbia: Sensus autem Psalmistæ est; palam & plenis buccis contemnunt Deum & homines, evomunt contumelias, & agunt omnia pro suo arbitrio.

II. V. 11. describit hostium suorum machinationes & insidias: *In gressu nostro*, inquiens, *nunc circumdederunt nos*, (vel ut alij: *gressum nostrum nunc circumdederunt nobis*) *oculos suos posuerunt ad dejiciendum in terram.* Observationem merentur hic sequentia: 1. per *gressum* in scriptura, usitatissimâ metaphorâ, actiones officij & vocationis munera, conversatio & commercia significantur: 2. particulâ, *nunc*, indicat Prophetam, se non modò elapsis temporibus, sed in hunc usq; diem, & singulis momentis hostium insidiis urgeri. 3. verbò, *circumdederunt*, notat machinationes & insidias hostium, quibus ceu retibus undiq; erat cinctus. 4. pronomine pluralis numeri, *nos*, socios simul complectitur, & periculum commune esse ostendit. 5. Phrasis *oculos ponere ad aliquid* nil aliud significat quàm uni alicui rei diligenter intentum

esse, id quod plerumq; solet fieri in motis oculis. *Alij* sentiunt in hac phrasi esse metaphoram, à jaculatoribus & venatoribus sumptam, qui ubi feram jaculo peturi sunt, diligenter oculis in eam intentis collimant: Sed phrasis est generalis. Sensus hinc fluit hujusmodi: In omnibus vitæ institutis & negotiis non tantum mihi, sed omnibus etiam divinæ veritatis confessoribus insidias struunt, & non modo olim sunt nobis insidiati, sed in hunc usq; diem, omnibusq; momentis nos, quacunq; incedimus, observant, & ceu retibus circumpositis undiq; circumclusos tenent, adeo ut nullum pateat effugium; quin & in hoc unum sunt intenti, omniq; studio & conatu hoc unice agunt, ut nos penitus in terram prosternant, & pedibus suis conculent.

12. v. 12. amplificat hostium suorum crudelitatem *duabus similitudinibus*: *Similitudo ejus*, inquit, *ut leonis, qui appetit rapinam, & ut catuli leonis habitantis vel sedentis in latibulis*: Tria sunt hic notanda 1. numerum pluralem mutari in singularem, & poni, *ejus*, pro, *eorum*; quod David ostendere voluit, se *præcipue* loqui de *Capite, Saule*, sicut & Psal. 10. cujus est idem argumentum. 2. hostes Davidis comparari *leonibus & catulis leonum*, bestiis omnium truculentissimis, *Leonibus* quidem propter vim manifestam: *Catulis autem leonum* in scrobe seu lustris suis latitantibus propter *clancularias insidias & machinationes*: Non enim *aperit* tantum vi grassantur hostes, sed conjungunt etiam *fraudes, dolos, technas, insidias occultas & varias*, vide Pf. 10. 3. particulam similitudinis, *ut*, vel *quasi*, Davidem innuere *transmutationem Regis Saulis in beluam immanissimam*, adeoq; hoc voluisse dicere: Qui debebat esse Pastor populi sui, factus est sævissima & crudelissima belua.

13. v. 13. repetit *precationem*, ut adversus injustam vim & tyrannidem hostium suorum defendatur ac servetur: sic autem orat: *Surge Domine, præveni faciem ejus, dejice eum; libera animam meam ab impio, gladio tuo. Quatuor* petit his verbis 1. *Ut surgat Dominus*, hoc est, ne diutius differat, sed subito ferat auxilium. Quando Deus differt auxilium, videtur *sedere* quasi otiosus, & nihil agere, h. e. negligere suos: Cum verò ad auxiliandum progreditur, dicitur *surgere*. Potest etiam h. l. verbum, *אָרַם* per *Age* exponi: nam duobus Imperativis junctis prius ferè adverbialiscit. 2. *Ut præveniat faciem ejus* sc. Saulis, hoc est, ut impediatur, coercetur & reprimatur furiosum & rapidum ejus imperium,

ne

ne pro sua libidine & rabie in ipsum grassetur: Sensus enim Davidis est: Saul hostili vultu & rapido cursu me invadit, tu præveni eum, & interpone te, ne ad me perveniat. 3. *Ut dejiciat seu prosternat eum*, hoc est, ut frangat vires & robur ejus, atq; sic humiliet eum, ut desinat cristas suas contra Deum & pios homines erigere. 4. *Ut liberet animam*, id est, *vitam suam ab impio, gladio suo*, hoc est, potentia sua, q. d. humano auxilio liberari non possum, ideoq; tu mihi fer opem, & potentia tua divina me eripe ex præsentis hoc periculo. Gladius enim *Domini* opponitur hic gladio *hominum*. Observes, quosdam interpretes hæc verba, *gladio tuo*, appositivè sic legere: *libera animam meam ab impio, qui est gladius tuus*, hoc est, quò uteris vice gladij in exercendo judicio & exequendis pænis: Sed cum hic modus loquendi sit durior, & precatiori huic Davidis, in qua de innocentia sua testatur, non admodum quadret, ideo priorem sequor sententiam.

14. v. 14. recenset *præcipua petitionis sue momenta*: *A viris*, inquit, *seu mortalibus manu tua* (sc. libera me) *Domine, à mortalibus, qui sunt à seculo, quorum portio est in vita, & quorum ventrem implet thesauro tuo, seu absconditis tuis: Saturantur filij, & relinquant residuum suum parvulis suis*. Cohæret hic versus cum præcedente; itaq; ablativus, *à mortalibus*, pendet à verbo, *libera*, seu *eripe*: Estq; hæc constructio simplicissima; *Eripe* seu *vindica me manu tua à viris seu mortalibus, à viris, inquam, qui sunt à seculo*. Quinq; verò hic ordine & quasi *ἐν συνθεσιν* ponuntur impiorum *ἡρώδισματα*: Primum sunt *mortales*, quod & *corporaliter & spiritualiter* hic accipiendum est: Si *corporaliter* exponas, tum significat, hostes piorum, quantumvis sint mortales sive morti corporali obnoxij, tamen sese supra sortem & conditionem mortalium hominum superbe efferre, ideoq; puniendos esse: Si *spiritualiter*, ostendit eos in peccatis esse mortuos, neq; ullam pænitentiaæ spem esse reliquam, itaq; ut mortua & putrida membra meritò abscindendos, ne vicina corripiantur eorum gangrænâ. Sic ergo David appellat hostes suos *κατὰ υείωσιν*, per *extenuationem & contemptum*, ad retundendam ipsorum arrogantiam & ferociam, ut meminerint se miseros esse homines, qui mori coguntur, sicut alij homines! *Quidam* interpretes vocem hanc construunt cum subsequenter, atq; ita legunt, *à mortalibus seu viris manus tue*: *Viros autem manus Dei* interpretantur, qui sunt in Dei potestate, & quos ille, cum sibi visum fuerit, trahit ad pænam, sicut

B 3

dici-

dicitur Ps. 21. v. 9, *Manus tua inveniet omnes inimicos tuos*; It. Heb. 10. v. 31. *Horrendum est incidere in manus Domini*. Volunt igitur hic intellectam *manum Dei ulticem*, quam suis sceleribus impij provocarunt. Sed quia vox Hebræa מַחֲרֵם scribitur *in statu absoluto*, rectius exponitur vox מַחֲרֵם in ablativo, *manu tua*, quàm in genitivo, *manus tua*. Alij legunt has voces *per appositionem*, quasi scriptum esset, *à viris, qui sunt manus tua*: id est, qui sunt tibi vice manus, quâ castigas & flagellas tuos: Utitur enim Deus quandoq; impiis & Tyrannis tanquam flagello & manu ad compefcendos & castigandos suos: Sed durior & à *precatione vindictæ alienior* videtur hæc expositio: siquidem petit hæc David impios gladio manuq; Dei puniri & disperdi. *Secundò* dicuntur *viri, qui sunt à seculo*, id est, homines mundani, mundum & mundana sapientes & sectantes: *Substantivum enim cum præpositione sæpe pro adjectivo ponitur*. Sic autem appellantur ij, qui præsentem solummodò vitam curant, & cælestia prorsus negligunt, ut Epicuræi, ignavi ventres, fruges consumere nati. In Hebræo extat nomen מַחֲרֵם significans *tempus hujus vitæ breve*: Et legitur cum præpositione מַחֲרֵם: quod quidam interpretantur *ultra justum tempus, seu diutius quàm fert periodus humana felicitati*: Et hinc viros מַחֲרֵם appellant eos, qui potentia & felicitate, quibus hæcenus sunt abusi ad opprimendos pios, nimis diu viguerunt & floruerunt. *Tertiò portionem suam habent in hac vita*, id est, affluunt bonis, opibus & deliciis, omnibusq; rebus abundant in præsentem seculo. In fontibus exprimitur vita nomine plurali, מַחֲרֵם idq; fit *ex comparatione unius illius vitæ cælestis*, quæ vera nostra vita esse debebat; sed homines, neglectâ vitâ cælesti, varia sibi vitæ genera in hoc mundo excogitant: *Alius* eligit sibi vitam negotiandi, *alius* vitam rusticandi, *alius* vitam militandi, *alius* illam, *alius* istam: Verumenimverò omnibus his mundanis vitæ generibus, quocunq; etiam nomine veniant, unica illa cælestis vita longissimè est præferenda, & præ omnibus aliis eligenda. *Quartò*, *ventrem eorum implet Deus thesauro suo seu absconditò suo*. Per thesaurum seu abscondita Dei intelliguntur singularia & mirabilia beneficia, raræ & exquisitæ lautitiæ, quæ non omnibus conferuntur: Sensus enim est: Deus non modò *vulgaribus* beneficiis impios afficit, sed interdum etiam *singularibus & personalibus* donis exornat; id quod constat exemplò multorum Tyrannorum & hæreticorum, qui vel po-

rentiâ

rentiâ vel opibus vel eruditione præ aliis eminuerunt: *Abscondita vero nuncupantur hæc beneficia & dona, quòd occultò Dei judicio, & arcana Dei bonitate conferantur impiis præter & contra omnem rationem humanam*, quippe quæ de illis judicat, quòd sint signa singularis Dei favoris erga impios, quasi præ aliis à Deo diligantur, & in gremio ejus foveantur; sed eventus docet, eos tanquam porcos saginatos tandem mactari, & justum Dei judicium adversus eorum impietatem & ingratitude declarari. Obiter hic observes, participium מַחֲרֵם *absconditum vel reconditum* accipi h. l. *substantivè* pro thesauro seu opibus, quæ recondi solent, juxta regulam: *Participia crebrò pro nominibus usurpantur, seu in nomina degenerant*. *Quintò* filij eorum saturantur, & ipsi relinquunt residuum suum parvulis suis, id est, non tantùm pro se abundant & affluunt divitiis, sed & pro liberis saturandis curam gerunt, atq; hoc unicum est ipsorum studium, ut liberis suis amplissima patrimonialia relinquunt, idq; si dederint effectum, beatos se judicant, nihilq; ultra desiderant. Accipiant quidem & pij quandoq; has corporales benedictiones, sed cor eorum non adhæret hisce rebus mundanis: Ipsi enim non sunt viri *de hoc seculo sive mundo*: ideoq; nec mundo, sed soli Domino cor suum apponunt. Septuaginta Interpp. nomen מַחֲרֵם per ablativum exponunt; saturantur filii, vel abundant sobole: nam impij hujus seculi in id maximè sunt intenti, ut sobolem numerosam progenerent; sicut ante diluvium filij Dei de filiabus hominum uxores duxerunt, quascunq; fuit collubitum, & ex illis filios & numerosam prolem susceperunt, Gen. 6. v. 1. & 2.

15. v. 15. *Concludit* Psalmum *letissimo epiphomate*, quò fiduciam & spem suam de futura felicitate conceptâ opponit omnibus inimicorũ suorum conatib; & quibuscunq; fortunis ac delitiis, quib; illi abundant. *Ego*, inquit, *in justitia videbo faciem tuam; satiabor, cum evigilavero, imagine tua*. *Diversa* traduntur huj; versiculi interpretamenta: *Quidam* explicant eum *de piorũ ex ærumnis huj; vitæ liberatione*; Atq; hinc existimant (1.) per *faciem & imaginem Dei* intelligi, favorem & auxilium Dei; (2.) Phrasin, *contemplari seu videre faciem Dei* significare idem, quòd favorem & auxilium Dei sentire; (3.) Verba, *in justitia*, accipienda esse de justitia causa, q. d. cum justam habeam causam, spem liberationis futuræ certissimam foveo: Perperam verò hinc inferunt Pontificij, Davidem salutis suæ causam adscribere operibus; Non enim disputat, *quomodo* aut

quibus

quibus meritis sit recipiendus in gratiam, sed tantum hoc affirmat, non carere premio pios Dei cultores, etiam si ad tempus premantur, & videatur Deus faciem suam occultasse. (4.) phrasin, *saturari imagine seu facie Dei*, significare idem, quod veram cordis fiduciam in favore Dei acquiescere, atque ex sensu illius vero ac solido perfundi gaudio quod animus quasi saturatur. Notandum hic, voces istas, *imagine tua*, constructui debere cum verbo, *saturabor*, non cum proxime precedente, *evigilavero*; id quod ostendit accentus Revia supra verbum $\Psi\text{P}\eta$: (5.) Verbo, *evigilare*, intelligi respirationem ex doloribus & ærumnis, quibus hætenus David fatigatus & oppressus tanquam sopitus jaceat: Mæsti enim sunt dormientibus similes. Alij interpretantur hunc versiculum de *æterna beatitudinis piorum fruitione*, ac proinde sentiunt (1.) per *faciem Dei* intelligi gloriosam illam faciem seu formam Dei visibilem, in qua Deus se beatis cæli incolis manifestabit, ac conspiciendum præbebit. (2.) phrasi, *contemplari seu videre faciem Dei*, indigitari visionem Dei in forma visibili apparentis *corporalem*: (3.) verbis, *in justitia*, significari *justitiam fidei*, quippe quæ sola æternam beatitudinem consequimur: (4.) phrasi, *imagine Dei saturari*, plenam & perfectam imaginis divinæ restaurationem designari: (5.) verbo, *evigilare*, resuscitationem ex mortuis ad vitam æternam denotari. Sunt denique & alij, qui prius hujus versiculi membrum explicant de *contemplatione Dei, quæ fit ominus & quasi per speculum in enigmate in præseni seculo* 2. Cor. 5. v. 7. posterius verò de *visione Dei, quæ fit cominus vel de facie ad faciem* 1. Cor. 13. v. 12. sive per speciem in futuro seculo 2. Cor. 5. v. 7. Tunc enim cælesti beatitudine verè saturabimur, non ad *tadium & nauseam*, sed ad plenam & perpetuam ejusdem fruitionem. Neque tamen sententia eorum est improbanda, qui prius membrum de *visione Dei beatifica, & posterius de summo*, quod hinc beati percipiunt, gaudio, exponunt, ut sit sensus totius versiculi: Impij summum bonum reputant corporalia bona; mea autem hæc est felicitas, quod te Domine tandem visurus sim in altera vita; Et cum suscitatus fuero à mortuis, summum gaudium mihi erit, visione beatificæ tuæ Majestatis perfrui.

